

que eam faciat commodam, et necessariam. » Legatur *loc. cit.* \*

(13. Mater pręgnans crebras et numerosas choreas ducens cum agitatione, ob periculum, in quod injicit se ipsam, et fętum, regulariter non eximitur a peccato gravi. S. Antoninus II part., tit. 17, c. 8, § 1; Navarrus in *Manual.*, c. 15, n. 14; Silvester, verb. *Homicidium*, 2, n. 14; Facundez in *Decalog.* lib. VI, n. 33; Raynaud. *De ortu infant.*, cap. 11, n. 9; Joannes Angelus Bossius, *Tract. de effect. matrim.*, cap. 9, n. 240, et alii passim. Ex hujusmodi enim choreis exemplo compertum est, pluries abortum provenisse, ut exempla referant Reynaudus, et Bossius, *loc. cit.*

(14. Mater tenetur alere filios primo triennio, et post triennium tenetur pater usque ad emancipationem, ut docent communiter doctores per textum in l. *Nec filium*, c. *De patria potest.*; et c. *Ex litteris*, De convers. infid. Hinc communiter traduntur hi vulgati versiculi :

Mater alit puerum trimum, trimoque minorem,  
Majorem vero pascere patris erit.

\* Hinc an mater teneatur lactare proprium filium sub gravi culpa, theologi quidam affirmarunt, cum onus istud impositum ipsis a natura animadvertant, nec ulla sint bruta, quę natis suis id non præstent. Alii tamen melius culpam ea in re levem agnoscunt. Occurrere tamen plures legitimas causas eximendi ab hoc onere matres ultro fatendum. Bened. XIV, *De synod. diocęs.*, lib. VII, cap. 58, § 11.

(15. Alia quoad hæc vide verb. *FILIUS FILII*, an. 126, usque in finem, et verb. *PARENTES*, n. 19.

(16. Mater et nutrix, quę sine debita cautela infantem tenellum retinent noctu in lecto, in quo ipsę cubant, sive sequatur suffocatio, sive non, ordinarie peccant graviter. Exponunt enim infantem periculo suffocationis, ut non semel accidit, et contrafaciunt legibus episcopalibus, quę fere ubique prohibent talem retentionem sub gravi pœna reservationis, et multis in locis sub pœna excommunicationis. Sic tenent Navarr. in *Manual.*, c. 15, n. 14; Rosign., l. c., contract. 15, *De matrim.*, 19, prænot. 3, n. 1, quibus videtur consentire Bonac. tom. II *De legibus in genere, et in particular.*, disp. 1, q. 1, punct. 7, § 4, n. 19; Vallensis lib. V, *Decretal.*, tit. 10, n. 2, et alii arg. c. *Consulvisti* 20, caus. q. 5, ibi: « Monendi sunt namque, atque protestandi parentes, ne tam tenellossecum in illo tecto collocent, ne negligentia qualibet proveniente suffocentur, aut opprimantur. Unde ipsi homicidii rei inveniuntur... Hi autem, qui probantur, vel confitentur talis reatus se noxios, tua eos castiget moderatio; quia si ille qui conceptum in utero per abortum deleverit, homicida est, quanto magis, qui unius saltem diei puerulum peremerit, homicidam se esse excusare nequibit? » et concordat c. *De infantibus* 2, De his qui filios occiderunt.

(17. Notanter autem dicitur peccare gra-

viter ordinarie, quia possunt dari casus, in quibus mater, et nutrix excusentur a culpa gravi, et etiam aliquando a veniali, ut si id facerent ratione impotentię, si alium locum non habeant, ubi puerum reponant, dummodo adhibeant cautelas, quas possunt adhibere, tunc enim necessitas, quę fundatur in illa impotentia, præponderat juri positivo prohibenti talem detentionem, argum. cap. *Sicut* 11, dis. *De consecrat.*, ibi: « Necessitas non habet legem, » et c. *Consilium* 2, De observant. jejuniar., ibi: « Cum non subjaceat legi necessitas. » Item ut juxta Barbosam in cit. cap. *De infantibus*, n. 2, contingere potest, si lectum sit amplum, et puer implacabilis, qui aliter a frigore defendi non possit, et mater, seu nutrix in somno suum retinere soleat situm, et locum, vel hujusmodi, dummodo semper adhibeant illas cautelas, quas possunt adhibere.

(18. Mater suffocans, seu occidens filium, de rigore, privilegio immunitatis gaudere debet. Sacr. congre. Immunit. in *Pisaren.*, 12 Novemb. 1647, lib. IV, *Decr. Paul.*, pag. 33, in *Maceraten.* 28 Sept. 1694, lib. I, *Decr. Valleman*, pag. 148.

(19. Mater prætensa rea infanticidii, extracta ab hospitali ad formam bullę, gaudet immunitate, adeoque est restituenda dicto loco immuni. S. cong. Immunit. in *una civitatis Castellii* 7 Sept. 1683, lib. III *Decr. Allovit.*, pag. 228.

(20. Matricida extractus ab Ecclesia gaudere debet immunitate Ecclesiastica. Sac. congr. Immunit. in *Arianen.* 15 Novemb. 1661, lib. *Decr. Rocci*, pag. 367. Cavendum tamen est ne in his tribus ultimis casibus interveniat casus præmeditationis, ob quem rei homicidii privantur immunitate, ex novissima constitutione Benedicti XIII, sub verb. *IMMUNITAS*, art. 2, n. 90, vel alias ex casibus exceptis a Benedicto XIV in sua novissima constitutione incipient. *Officii nostri*, allata tom. IV, verb. *IMMUNITAS*, ubi multa ad rem merito scienda.

(21. Matris mœstitia est filius stultus, patris autem lætitia est filius sapiens. *Proverb.*, cap. X, n. 1, ibi: *Filius sapiens lætificat patrem; filius vero stultus mœstitia est matris suę*, id est filius sapiens lætificat patrem, quia sua sapientia, prudentia, ac dexteritate juvabit eum in regimine domus, in expediendis negotiis, aliisque rebus gerendis. Tum quia filius sapiens ad conspicuos evehitur honores, sublimiores cathedras, ac insigniora officia, quę spectans pater, ac reflectens, quod post suam mortem, talis filius honorificentissime suam representabit personam, magno gaudio, et lætitia afficitur; filius vero stultus, quia ineptus est ad res gerendas, ac munia exercenda, et ad officia honorifica obeunda, remanet in domo privatim cum matre, quę videns et cognoscens ejus stultitiam, et hæc dedecora filii, continuam habet materiam tristitię, sicque assidue luget et mœret. Ita Liranus, Cornel. a Lapide, et alii in dicta cap. 10, n. 1, *Prov. Mystice* autem filius sapiens est quilibet justus, et pœni-

tens de peccatis, ipse enim est lætitia patris sui, id est Christi, qui de pœnitentia ejus gaudet cum tota curia cęlesti; juxta illud *Luca* cap. XV, v. 7 et 10, ibi: *Ita gaudium erit in celo super uno peccatore pœnitentiam agente...* Ita dico vobis gaudium erit coram angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente Filius vero stultus, id est omnis, qui transgreditur mandata Dei, et de peccatis non dolet, mœstitia est matris, id est Ecclesię, juxta illud *Baruch* cap. IV, v. 8, ibi: *Oblivestis Deum, qui nutrit vos, et contristastis nutricem vestram.* Sic cum aliis Lugo card. in cit. c. 1, n. 1, *Proverb.*

(22. Matris maledictio eradicat fundamenta, et benedictio patris firmat domos filiorum. *Eccles.*, c. III, v. 11, ibi: *Benedictio patris firmat domos filiorum, maledictio autem matris eradicat fundamenta*; id est benedictio patris firmat domos filiorum in multiplicatione filiorum, eos magis ac magis in dies divitiis, honoribus, gloria, splendoribus, et omnibus bonis spiritualibus, ac temporalibus augendo, et replendo, ut patet de Sem et Japhet benedictis a patre Noe. *Genes.*, cap. IX, v. 26 et 27; de Isaac, qui a patre Abraham, et Jacob qui a patre Isaac fuit sic benedictus: *Genes* cap. 27, v. 28 et 29. Maledictio autem matris eradicat domos filiorum usque ad fundamenta, eorum sobolem, ac familiam, ac opes, et honores, omniaque eorum bona spiritualia, ac temporalia penitus extinguendo, ut patet horrendo exemplo adducto a S. Augustino lib. 22 *De civit. Dei* cap. 8, et prolixius serm. 94, *inter novos*, de matre, quę filiis sibi inobedientibus, ac rebellibus maledicens, omnes illos continue tremulos, ac vagos sine domibus, opibus, et honoribus miseros undequaque effecit. *Est enim maledictus a Deo, qui exasperat matrem: Eccles.* cap. 3, v. 16. Sic Cornel. a Lapide in cit. cap. III, v. 11 *Eccles.* Vel ut cum aliis notat *ibid.* Ugo cardinalis, benedictio patris, id est qua pater benedicitur a Domino, firmat domos, ac familias filiorum; quia cum Deus benedixit patribus antiquis, in eis benedixit filiis filiorum, *Genes.* c. XXII, v. 18, ibi: *Benedicentur in semine tuo omnes gentes*; et iterum *Genes.* cap. XXVI, v. 4: *Benedicentur in semine tuo omnes gentes*, cum similibus. Seu sic benedictio patris, quia pater benedicitur a filiis, firmat domos, quia merito benedictionis hujusmodi, confirmantur et stabiliuntur filii in bonis temporalibus et spiritualibus; maledictio autem matris, qua scilicet mater maledicitur a filiis, eradicat usque ad fundamenta domos filiorum, non solum in temporalibus, sed etiam in spiritualibus, quia cum mater teneriori amore, quam pater, diligit filios, ac majori cura, sollicitudine et labore ultra dolores partus, eos nutrit, fovet, ac educet, si sibi ingratos agnoscat, eis maledicendo, ex quo amor læsus vertatur in furem, eradicat usque ad fundamenta domos ipsorum, eos denudando omnibus bonis, ac replendo omnibus malis, juxta illud *Proverb.* c. XVII, v. 13: *Qui reddit mala pro bonis, non recedet malum de domo ejus.* Et univer-

sim statutum est quod *Qui maledixerit patri suo, vel matri morte moriatur. Exod.* cap. XXI, v. 17. *Qui maledixerit patri suo, aut matri, morte moriatur: patri, matrique maledixit sanguis ejus sit super eum, Levit.* cap. XX, v. 9. *Qui affligit patrem, et fugat matrem, ignominiosus est, et infelix. Proverb.* cap. XIX, v. 26. *Qui maledicit patri suo, et matri, exstinguetur lucerna ejus in mediis tenebris. Prov.*, c. XXIX, v. 20, cum similibus.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(23. An potestas in filios de jure naturę competat soli patri, exclusa matre, non convenit. Mihi ea semper arrisit opinio, ut hæc potestas utriusque parenti, jure naturę attento, competat, idque quia onus educandi filios utrumque parentem tenet, educatio autem dari nequit sine potestate. (24. Vide Lockium, *De regimine civili*, cap. 5, qui una tradit quousque se extendat, tum quandiu duret hæc potestas parentum in filios secundum jus naturę.

(25. Jure vero civili Romanorum uni Patri potestas in filios competit, § 1 *Institut. de adopt.*, § 3, pariter *Institut. de hæred. qualit. et different.* Atque hinc factum, ut nequeat mater ad exemplum patris filiis pupillariter substituere: princip. *Institut. de pupillar. substit.*, l. 2, princip., ff. eod., nec etiam perinde ac patri usufructus in bonis liberorum competat, Brunemann., l. VI col. *De bon. quę liber.*; Carpzov., lib. VI, lit. 7, Respons. 70, nec a rationum redditione, nec ab inventarii confectione immunis sit mater tutrix pupillarum, eaque neglecta, ad juratam specificationem teneatur. Stryk., *juridict. dissert.*, vol. II, disput. 4, c. 3, § 2; Carpzov., *Jurisprud. forens.*, p. 27, constit. 11, defin. 5 et 6, quę omnia aliter se habent in Patre, d. L. 6, c. *De bon. quę liber.*

(26. Sed licet jure civili Romanorum patri tantummodo potestas in filios competat, sunt tamen officia, quę filii non patri solum, sed et matri præstare tenentur. Inter hæc principem locum tenet alendi debitum, quod sicuti parentibus respectu liberorum, ita quoque liberis incumbit, si forte contingat parentes inopia laborare, sibi ob senilem ætatem, vel adversam valetudinem prospicere hand posse de vitę necessariis, l. ultim., § *Ipsium autem*, cod. *De bon. quę liber.* leg. 5., Cod. *De patr. potest.*, leg. 1 et 3, c. *De calend. liber.*

(27. Persona unius, itemque alterius parentis semper sancta et honesta filiis esse debet, l. 9, ff. *De obsequ. parent.*, et *patron. præstand.* Quo fit, ut filii non solum ab omni injuria, vel reali, vel verbali parentibus inferenda abstinere sedulo debeant, nisi gravissimas animadversiones velint incurrere, l. 3, cod. *De patr. potest.*, sed et nullam actionem, vel exceptionem famosam parentibus dedecori futuram valeant adversus ipsos proponere; quin, si casus ita ferat, suppressa doli mali, fraudisque mentione, in factum veri is uti debeant, l. 11, ff. *De dol. mal.*, l.

20, § ult, ff *De injur.*, l. ii, § 1, ff. *De obseq. parent. vel patron. præstand.*

(28. Quod dictum est de actione famosa, id ipsum in accusatione quoque locum sibi vindicat, leg. 8, ff. *De accusat.* si excipias tamen crimen læsæ majestatis, l. penult. cod. *Qui accusari non poss.* tum et maxime crimen apostasiæ, hæresis, etc., cap. 10 *De heret.* Admisso vero a parentibus crimine, quod notatur legibus publicorum judiciorum de facto eorum civiliter quærere possunt, Brunemann. in leg. 11, n. 4, cod. *Qui accusari non poss.*

(29. Huc etiam spectat, quod filii absque venia parentes in jus vocare nequeant, leg. 4, ff. *De in jus vocand.* Non male vero Anton. Faber in *Cod.*, lib. ii, tit. 2, defin. 13, monet, hodie opus amplius haud esse hac venia, propterea quod iudex eo ipso quod ad instantiam alicujus citat, hæc venia impetrata censetur. Vide et alia officia liberorum erga utrumque parentem apud Stryk *Jurid. dissert.*, vol. II, disp. 4, cap. 3, § 13 et sequent.

(30. Reliquum est, ut de eo verba faciamus, an matri asserenti filium aliquem ex adulterio natum esse credendum sit? Negatur communiter ex leg. 39, § 1 *De probat.* Idque procedit etiamsi mater de adulterio sit con-

### MATRIMONIUM.

#### ARTICULUS I.

*Matrimonium quoad ea quæ concernunt ejus naturam, materiam, formam, et ministrum.*

#### SUMMARIUM.

1. Matrimonium unde dictum? — 2. Quare dicitur potius matrimonium, quam patrimonium? — 3. Matrimonium aliquando vocatur conjugium, et quare? — 4. Quandoque dicitur connubium, et quandoque nuptiæ: et quare? — 5. Matrimonium quid sit? — 6. Matrimonium dividitur in legitimum, ratum, et consummatum. — 7. Matrimonium legitimum quale sit? — 8. Matrimonium ratum quid sit? — 9. Matrimonium consummatum quale sit? — 10. Dicta tria matrimonia differunt firmitate, seu stabilitate. — 11. Matrimonium ratum, et consummatum differunt inter se etiam in ratione significationis. — 12. Matrimonium in lege veteri, sicut et matrimonium nunc contractum inter infideles, quamvis fuerit et sit legitimum atque validum in ratione contractus, non fuit tamen, nec est sacramentum. — 13. Solum matrimonium contractum inter fideles baptizatos est sacramentum, estque unum ex septem novæ Legis sacramentis a Christo Domino institutum. — 14. Matrimonium in ratione sacramenti probabilis fuit institutum, quando Christus dixit: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* — 15. Adducitur, et solvitur instantia. — 16. Probabilis est inter fideles, sive baptizatos nullo modo, ne quidem per intentionem contrahentium, posse valide separari rationem sacramenti a contractu matrimonii. — 17. Adducitur, et solvitur instantia. — 18. Est tamen probabilis etiam contraria opinio. — 19. Matrimonium legitime contractum ex dispensatione Pontificia inter fidelem, et infidelem, est sacramentum ex parte fidelis. — 20. Matrimonium duorum conjugum infidelium, si ambo convertantur, et baptizantur, an fiat sacramentum? ad n. 21. — 22. Bona principalia matrimonii sunt tria; scilicet fides, proles, et sacramentum. — 23. Præter dicta tria principalia bona, seu tres prima-

vicia, nam potest esse mater adultera, filius vero legitimus, Brunemann. in d. leg. 29; Stryk., in *Not. ad Lauterbach.* tit. *De hist. qui sui, vel alieni juris sunt*, quinimo etiamsi mater in articulo mortis constituta hanc emisit confessionem, argum. leg. *Si quis in gravi* 3, ff. *De senatuconsult. Syllanian.* Quid si filius præterea patri sit dissimilis, referatque ipsum adulterum? Nec matri creditur, quum ista similitudo per accidens ex imaginatione mulieris tempore conceptionis contingere potuerit. Gail., 2, observ. 97, n. 7., qui et alias ampliaciones affert.

(31. Hinc quemdam regem stultitiæ arguere solent doctores, qui ad confessionem matris, quod scilicet ex adulterio natus erat, regno se abdicavit.

#### Responsio auctoris.

Quæ addita sunt hic circa fin. jam fuerant a me tradita sub verb. *Filius* a n. 113, ad 119; præsertim, quod filius non teneatur credere matri asserenti ipsum natum esse ex adulterio; et quod derisus fuerit, et adhuc in dies derideatur rex, qui ad confessionem matris, quod natus erat ex adulterio, regno se abdicavit. Vide ibi multa ad rem.

rios fines, aut effectus, habet matrimonium alios effectus, seu fines minus principales, qui assignantur. — 24. Materia remota sacramenti matrimonii sunt ipsa corpora habilia contrahentium, et materia proxima est ipsamet traditio mutua corporum in ordine ad generationem. — 25. Forma sacramenti sunt ipsorum contrahentium verba, seu signa verbis æquivalentia mutuum consensum internum sufficienter exprimentia. — 26. Etiam mutus, et surdus potest contrahere matrimonium? — 27. Illi, qui tenent ministerium matrimonii esse parochum, seu sacerdotem delegatum, tenent etiam, quod legitimum contractus civilis sit materia hujus sacramenti, et forma sint illa, vel similia verba a parochio, seu sacerdote delegato prolata: *Ego vos in matrimonium conjungo; In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* — 28. Ministri tamen sacramenti proprie sunt ipsimet contrahentes, quilibet partialis, uterque totalis. — 29. Adducitur fundamentalis probatio, ad n. 30. — 31. Adducitur, et solvitur instantia. — 32. Assignantur doctores tenentes contrariam sententiam. — 33. Matrimonium inter absentes celebratum, sive fiat per procuratores, sive per litteras, sive per nuntios, validum est in ratione contractus, si certæ serventur conditiones. — 34. Et etiam validum est in ratione sacramenti. — 35. Afferuntur conditiones requisitæ in matrimonio celebrato inter absentes, et satisfiit rationibus adversariorum. — 36. Procurator potest esse diversi sexus ab illo, nomine cujus contrahit. — 37. Nec requiritur, quod sit certæ ætatis. — 38. Quando matrimonium contrahitur per nuntios, debent isti utriusque mittentis traditionem, et acceptationem significare coram parochio, et testibus. — 39. Et si contrahatur per litteras, debent etiam istæ legi coram parochio, et testibus. — 40. Contrahentes per procuratores, vel nuntios, seu litteras, optime faciunt, si deinde per se ipsos privatim inter se repetant mutuum consensum. — 41. Principales contrahentes debent esse in statu gratiæ, pro eo tempore, quo probabiliter credunt posse procuratores eorum nomine contrahere, vel nuntios suam voluntatem significare, seu litteras suas legi posse

coram parochio, et testibus: procuratores autem, et nuntii non peccant, si eo tempore sint in peccato mortali. — 42. Matrimonium contractum a procuratore post revocationem Procura etiam ignoratam, est nullum. — 43. Circa parochum ministrum matrimonii, ad n. 60. — 61. Subnectuntur additiones ex aliena manu ad n. 75. — 76. Novissimum additamentum de matrimonio per procuratorem, ad n. 85.

(1. Matrimonium secundum nominis Etymologiam derivatur a *ly mater*, et *munium*, seu *munus*, quasi sit *matris munium* seu *matris munus*; unde S. Augustinus l. xix, *contra Faustum* sic habet: « Matrimonium ex hoc appellatum est, quod non ob aliud debeat femina nubere, quam ut mater fiat »: et concordat S. Thomas in *Supplem.*, qu. 44, art. 2, ubi dicit quod dicitur matrimonium, quia est præcipue *matrum onus*.

(2. Hinc dicitur *matrimonium* a matre potius, quam patrimonium a patre, quia ad prolem, cujus generandæ et educandæ causa institutum est matrimonium, magis concurrat mater ipsam in utero caute gestando, sollicite nutriendo, difficulter pariendo, et accurate educando.

(3. Matrimonium variis aliis nominibus appellatur; aliquando enim vocatur *conjugium* a conjungendo sub uno mutuo jugo, quia virum ac mulierem sub uno, eodemque quasi mutuo jugo ad servandam fidem, et onera matrimonii sustinenda constituit; Catechism. Rom. *De matrim.*, c. 1. (4. Quandoque dicitur *connubium*, et quandoque *nuptiæ* ab obnubendo, eo quod antiquius pudoris gratia se puellæ obnubere seu caput, et faciem velarent, dum viris dabantur, exemplo Rebeccæ, de qua idipsum legitur *Genes. xxiv* n. 63, ibi: *At illa tollens cito pallium operuit se*; et habetur expresse in *c. Nec illud* 8, caus. 30, q. 3, ibi: « Nec illud otiosum, quod cum veniret Rebecca, vidit Isaac deambulantem, et cum interrogasset, quis esset, cognito quod ipse esset, cui duceretur uxor, descendit, et caput obnubere suum cœpit, docens verecundiam in nuptiis præire debere; inde enim et nuptiæ dictæ, quia pudoris gratia se puellæ obnubere. »

(5. Matrimonium in jure, tum canonico, tum civili præcisè definitur, quod « sit maris et femine conjunctio individuum vitæ consuetudinem retinens, » sic expresse in *c. Illud* 2, *De præsumptionibus*, et caus. 17, qu. 2, § 2 et § 1, *Instit. de patria potestate*; quia vero ibi matrimonium potissimum definitur, et explicatur quoad vinculum; datur hic alia definitio adæquate ipsum complectens, et explicans, et ut contractum, et ut sacramentum, et ut vinculum: « matrimonium est individua conjunctio maris et femine legitimo contractu firmata ad generandam, prolem, a Deo auctore naturæ instituta, et sacramento novæ legis signo, et bono a Christo Salvatore elevata ad Christiane generandam prolem. » sic expresse Marchantius t. III *Tribun. seu speculi* part. iii, q. 1; Sporer, tom. III *Theol. sacramental.*, part. iv, c. 1, n. 1. Estque in re communis.

(6. Matrimonium dividitur in legitimum, ratum, et consummatum. *Communis.* Matrimonium *legitimum* est illud, quod legitimo consensu inter personas habiles, seu jure non impeditas contrahitur; et dicitur *legitimum*, quia contrahitur juxta leges, et tale matrimonium datur etiam inter Infideles non baptizatos, cum ut sic abstrahatur a ratione sacramenti. (8. Matrimonium *ratum* est illud quod non solum legitimo modo contrahitur, sed insuper accedit ei ratio sacramenti, vi cuius dicitur *ratum*, quia magis indissolubile; cum tamen contractum ab infidelibus sit dissolubile per conversionem alterius ad fidem, et ideo eorum matrimonium, quamvis legitimum, non est *ratum*, cap. *Quanto* 7, *De divortis*, ibi: « Nam etsi matrimonium verum inter fideles existat, non tamen est *ratum* (quia scilicet potest dissolvi, ut expresse dicit *Glossa* ibidem *verbum ratum*). Inter fideles autem verum et *ratum* existit; quia sacramentum fidei, quod semel est admissum, nunquam amittitur, sed *ratum* efficit conjugii sacramentum, ut ipsum in conjugibus illo durante perduret. » Matrimonium *consummatum* est illud quod, accedente mutua actuali traditione corporis, et copulatione carnis, completur, et consummatur, et id non solum in ratione contractus legitimi, sed etiam in ratione sacramenti, ut idcirco majorem, et quasi ultimam ex divina institutione stabilitatem acquirit. »

(10. Dicta tria matrimonia, ut vides, differunt firmitate, seu stabilitate, matrimonium enim *legitimum* solvi potest favore fidei, cum alter conjux ad fidem convertitur altero nolente converti. *Ep. I ad Corinth.*, c. vii: *Quod si infidelis discedit, discedat; non enim servituti (nempe ligamini conjugali) subjectus est frater, aut soror in hujusmodi.* Item c. *Si infidelis* 2, caus. 38, q. 2, et cit. c. *Quanto* 7, *De divort.* Matrimonium *ratum* solvitur favore religionis per solemnem professionem. c. *Verum* 2, et c. *Ex parte* 14, *De convers. conjug.*, et est expresse definitum a concil. Trid., sess. xxiv *De matrim.*, canon 6. ibi: « Si quis dixerit, matrimonium ratum non consummatum, per solemnem religionis professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit. » Matrimonium *consummatum* quoad vinculum nunquam solvi potest, ut habetur expresse ex verbis Christi *Matth. xix*, ibi: *Quod Deus conjunxit, homo non separet*, et ex *Apost. ad Rom.*, vii, ibi: *Mulier, vivente viro, alligata est legi*, et *I ad Corinth.*, vii, ibi: *His qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed dominus, uxorem a viro non discedere, quod si discesserit, manere inuptam, aut viro suo reconciliari.* Et est expresse definitum a conc. Trid., sess. xxiv, canon 5, ibi: « Si quis dixerit propter hæresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam a conjugate, dissolvi posse matrimonii vinculum, anathema sit. » Et *ibid.*, canon 7, ibi: « Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum docuit, et docet, juxta evangelicam, et apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius con-